



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Specvlvm Monachorvm D. Bernardi, S. R. E. Cardinalis, Et Abbatis Cassinensis

**Arnulfus <de Boeriis>
Bernardus <Ayglerius>**

Dilingæ, 1616

II. De detestanda Prælatorum negligentia Conuentui necessaria
prouidendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48585](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48585)

quinguagenarios, & decanos, qui
iudicent populum omni tempore. Et
post pauca. *Leuius q̄ tibi sit partito in
alios onere.*

CAPITVLVM II.

IN QVO PRÆLA-
TI NEGLIGENTIAM,
PROVIDENDI CON-
uentui necessaria, de-
testatur.



INTER cæteras nam-
que sollicitudines, quæ
Abbari debent incū-
bere, debet esse non
minima fratribus suis in necessario
prouidere. Nam cū ipsi Domino
seruientes, sint pondus & æstus
por-

portantes, & vt boues assidue tritu-
 rantes, durum est eos fame affligi,
 & vt necessaria non habeant, ora
 claudi: & quibus imponuntur Regu-
 la onera, & adhibentur disciplina-
 rum flagella, non debent esse dete-
 rioris conditionis, quam serui, asi-
 ni, iumenta: de quibus dicitur in
 Eccles. *Cibaria, & virga, & onus* *Eccles. 33o*
asino: panis, & disciplina, & opus ser- *25o*
uo. Est enim magnum quoddam
 homicidium, subtrahere taliter la-
 boranti panem necessarium; sicut
 dicitur in Ecclesiast. *Qui aufert in* *Eccles. 34*
sudore panem, quasi qui occidit proxi- *26o*
mum suum. Cum igitur B. P. Bene-
 dictus ad tantam perfectionem Re-
 gulam deduxerit quod nihil Mo-
 nachus proprii habere possit; Et ad *cap. 33o*
 tantam paupertatem deduxerit e-
 um, quod non licet sibi habere gra-
 phium, nec voluntatem in sua po-
 testate, nec corpus proprium, lon-
 ge ab amore paterno, a quo Mona-
 chus

chus omnia sperare debet, vniuersa pro D E O dimittenti necessaria non ministrare. Ipsam autem paupertatem, & Regulæ perfectionem, idem Pater sanctus ostendit dicens:

Cap. 33. Præcipue hoc vitium radicitus amputetur de Monasterio, ne quis presumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis: neq; aliquid habere proprium, nullam rem omnino, neq; codicem, neq; tabulas, neq; graphium, sed nihil omnino. Quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate. Omnia verò necessaria à patre monasterij sperare &c.

Necessaria ministranda abundantè.

Debet autem subditis necessaria ministrare abundanter, hilariter, æqualiter, & prudenter.

Circa primum verò notandum, quòd in Claustralibus propter continuum laborem, quem sustinent in seruitio Christi, multum abundat passio I E S V Christi, cuius & mem-

membra sunt ipsi. Et ideo præcipuè circa tales debent abundare prælati, consolationibus ; Et vt ipsi possint liberiùs ad superna eleuari, debet spes per præsentium subsidia roborari ; sicque potest, quod dicit Apostolus ad Corinth. assumi : *Sicut abundat passiones Christi in vobis, sic abundet in vobis consolatio vestra.* Et post pauca : *Vt spes vestra firma sit in vobis, scientes quod sicut socij estis passionum, ita & consolationum eritis.* Debet enim ad subditos habere largas manus, vt iuxta Gregorium, necessitatem patientibus occurrat, alienam inopiam suam credat : Quod si hoc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet. Abundans namque, & habens Abbas etiam modica, debet dare affluenter, liberaliter, & libenter. Super his quem amabat Tobias filium informabat dicens : *Si multum fuerit tibi, abundanter tribue ; si exiguum*

2 Cor. 13

15.

Tob. 4. 9

guum

guum fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude. Procurantes enim in domo Domini ciborum largitatem, benedictionem promerentur à Deo, & bonorum multiplicationem, sicut legitur in Malach, Sit vobis in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis catarractas caeli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam.

Malach.
3 10.

Item debet ministrare fratribus hilariter; de hoc dicit B. Benedictus de Cellerario: Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo vel mora afferat, vt non scandalizentur. Idem, cui substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus; Quia scriptum est: Sermo bonus super datum optimum. Nec solum hilaritatem voluit habere in dando, sed etiam humilitatem in petenti irrationabiliter denegando. Cum enim dixisset;

Cap. 31.

dixisset; Fratres non contristet, subiungit : Si quis frater ab eo aliqua irrationabiliter petierit, cum humilitate male petenti deneget. Nec solum debet dare liberaliter, sed hilariter; vnde Apostol. *Hilarem enim datorem diligit DEVS.* Et Eccl. 9. 7. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Debet etiam dare celeriter; vnde in Prouerbijs. *Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare.*

2. Cor. 9. 7.

Eccl. 35.

11.

Prouer. 3. 28.

Debet etiam ministrare æqualiter, vt sit in eis omnis communio, & nulla personarum acceptio. Nec enim debet esse, vt illi, qui sunt extra, habeant abundanter, & illi, qui sunt intus, egeant inhumane. Nam quod æqualis sit communio, habet lex, quam David in libro Regum statuit dicens : *Æqua enim pars erit descendētis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter diuidens*

1. Reg. 30. 24.

30. 24.

diuidens

diuident. Et factum est hoc ex die il-
 la, & deinceps constitutum & prae-
 nitum, & quasi lex in Israel. Illi enim,
 qui exeunt ad ministracionem, seu
 terrena agenda, ad quietem, & ne-
 cessaria intrinsecis procuranda de-
 scendunt, de quiete Contemplati-
 uae, ad praelium Actiuae. Illi autem,
 qui remanserunt in claustro, sunt
 quasi custodes sarcinarum in dulci
 Mariae otio. Illis & illis prouideat
 Superior, non ut vnus ebrius sit, &
 alius esuriat. Nam tales Apосто-
 lus ad Corinth, condemnat. Om-
 nia enim debent esse communia, si
 sunt dispensatores verè sancti, sicut
 in illa congregatione, in qua fue-
 runt rectores Apostoli, sicut legitur
 in Actibus Apostolorum: *Multitu-
 dinis credentium erat cor vnum, & a-
 nima vna, nec quisquam eorum, qua
 possidebant, aliquid suum esse dicebat,
 sed erant illis omnia communia. Et
 post pauca: Neq; enim quisquam e-
 gens*

1 Cor. ii.
 21.

Act. 4.
 32.

gens erat inter illos. Sed hæc, pròh dolor, non est hodie in omnibus monasterijs, dantibus occasionem malis administratoribus prælatis. Unde cùm appellatus fuisset quidam frater, respondit notabiliter: *Nos sumus quidem fratres, sed scutella non sunt sorores.* Audiui etiam dixisse quendam monachum de quadam re: *Hoc est meum: & à quodam de ministratoribus est responsum.*

Nihil proprium: procul hoc vitium: communia quæq;. Sed replicatum est per alium.

Sic loquimur, sed non fruimur communibus æquè.

Videtur autè his singularitatibus dare occasiones; q; fatuè multiplicam^o procuratores. Nam cùm in congregatione, cuius Saluator fuit abbas, nō nisi vnicus dispensator extiterit, & ille vnicus etiam latro fuerit: nos è contrario multiplicamus dispensatores, immo verius dissipatores.

Et

Et quanto ponimus plures, tanto multiplicamus latrones. Ipsi n. sibi preciosiora volunt retinere, & vix viliora fratribus ministrare. Hoc autem faciendo regem Sodomorum sequuntur, imitando qui in Genesi Abre dicit: *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* Porro licet dictum sit, quod omnes debent recipere æqualiter, dico tamen id debere fieri prudenter, sicut dicit pius Magister noster; *Diuidebatur singulis, prout cuique opus erat. Vbi non dicimus (quod absit) ut personarum sit acceptio sed infirmitatū consideratio.* &c. Ipse enim Abbas magis debet ad fratrum infirmitates, quam ad inuidorum pessimas voluntates respicere. Vnde idem B. P. N. dixit:

Gen. 14.
21.

Cap. 34.

Cap. 55.

Ita & Abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem invidentium. Esset quippe indiscretum omnia dare vni, sicut impium dare nulli. Liberalitas dispensatoris

toris debet habere discretionē tam rerum, quàm personarum. Vnde dicit Beatus Gregorius: In ipsa autem liberalitate modus est adhibendus rerum & personarum: Rerum, vt non omnia vni, sed singularis quaedam præstentur vt plurimis: Personarum, vt primùm iustis, deinde peccatoribus. Et Beatus Ambrosius discretam liberalitatem cōmendans, ait: Perfecta liberalitas fide, causâ, loco, & tempore commendatur. Item pulchra liberalitas est, in ipso quoque dato pauperis mensuram tenere, vt abundes pluribus, nec consequendi fauoris gratiâ vltra modum fluere. Vsq; ibi, Sacerdotibus hoc conuenit. Et infra sequitur: Impensas misericordix frequentare, quantum oporteat largiri peregrinis, non superfluas, sed competentes.

Suadeo igitur Abbati non esse in *Nobile*
 prouidendo Conuentui negligē- *Consi-*
 M tem, *lium,*

rem, sed diligentem; non avarum,
 sed largum, hilarem, ac benignum
 cum discretionē, & æqualitate de-
 bita dividētē, vt inter seruos Dei
 nullus sit egens in necessarijs. Am-
 putetur etiam in superfluis, quod est
 nimis. Eligat fideles procuratores;
 non nutriat pro posse latrones: fra-
 tres vitent murmurationem.

Dispensatores, murmurandi
 non præbeant occa-
 sionem.



CAPIT.